



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro vera contritione, peccatorumq[ue] remissione, & segura morte.
Precatio XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Luc. 21.

tus te male factorum eius cepisset obliuio (quæ licet in eo admodum numerosa erant, misericorditer tamen verè poenitenti cuncta ignouisti) nec quicquam in eo præter virtutes spectares, ita ad eum dixisti: *Hodie mecum eris in paradiso*, multo plus ei conferens, quam ille petere ausus erat: quia pro parua sui memoria duntaxat precatus est, penitus se in diuinam tuam resignans voluntatem, totumq; tibi se offerens, quicquid etiam demum agere secum velis.

At ô damnanda nequam latronis duritia, quem nec socij fraterna correptio, nec ingens patientia & benignitas tua, nec tanti amoris & clementiæ exhibitio emollire, aut conuertere potuerunt. Cernebat quidem ex te fluere oleum misericordiæ & gratiæ, plus dare quam peteretur, & superior obstinatioq; fuit, quam vt petere vellet. Videbat dari vitam, cælorum regnum distribui: nec animum adhibere voluit, vt desideraret. Itaq; nec erit ei, & quidem in omne æuum.

Ioan. 19.
Psal. 31.

Interim vilissimi impijssimiq; carnifices, qui in crucem te adegerant, vestes tuas satis abiectas & simplices, in prædam rapiunt, inter se eas partiuntur, singulis singulas tribuentes partes. In tunicam autem inconsutilem ne diuideretur, sortem miserunt. Non autem ob hoc id solum faciebant vilissimi scurræ, quod aded essent indigi, inopes atq; viles: sed ironicè quoq; per Iudæorum instructionem id faciebant, tibi illudere volentes, & quasi iactantes nobilem se prædam obtinuisse, vestes puta tuas regias, vnde omnes fieri diuites possint, diuidi oportere: atq; idcirco inter se diuidunt, ipsi hoc factò tuam tibi paupertatem exprobrantes.

Pro vera contritione, peccatorumq; remissione, & secura morte, Precatio. XVI.

Luc. 23.

O Benignissime & clementissime Iesu, adoro, laudo, & benedicò te pro pietatis tuæ magnitudine & Diuini amoris exuberantia, quam latroni à dextris tibi pendenti, verè poenitenti & misericordiam tuam vltima voce sua abs te postulanti, non minus dulciter, atq; promptè exhibuisti eidem, supra id etiam quod petierat, promittens. Hoc est non solum illius pollicitus es te habiturum memoriã, verum etiam peccatis dimisisi: *Hodie*, inquit, *eris mecum in paradiso*, ô dulcissime Iesu qui omnes poenitentes hoc verbo quàm suauissime refecisti, & nos miseros ad spem piè erexisti: obsecro te per amarissimam passionem & innocentissimã mortem tuam, respice super me eisdem pijsimis oculis misericordiæ tuæ, quibus hunc latronem in crucis ara respexisti: frange duritiam cordis mei, & sanctæ compunctionis, dolorosæ contritionis gratiam citius nunc, & præcipuè in mortis hora infunde, vt poenitiæ & amoris lachrymæ in vnione omnium lachrymarum & guttarum pretiosi sanguinis tui in me abluant, quicquid contra te sponte vnquã, aut negligenter deliqui, vltab omnibus maculis peccatorum & negligentiarum in fonte immensæ misericordiæ, & in passionis tuæ meritis in fine dierum plenè expurgatus, anima mea per superabundantè & infinitam bonitatè tuam tibi perfectè reconciliata, per gratiam tuam adoptata, tuis meritis atq; virtutibus ornata, charitate perfectissima inflammata, tibiq; vnita, & secundum omne beneplacitum tuum tibi accepta, libera atq; secura de manibus non modo omnium inimicorum suorum, verum ab omni etiam pena ignis purgatorij alia, immediatè emigret ad te dulcissimum redemptorem suum, benedictura tibi cum electis tuis omnibus, sine fine per æterna secula, Amen.

Actio gratiarum pro inestimabili dolore atq; angustia, quæ ex sua dulcissima matris presentia Christus in cruce habuit: pro eius cõmendatione discipulo Ioanni, & huius vicissim illi.

CAPVT